

Z d  
1376





D

I

CO

J





PLANCTUM SUUM  
IN  
FUNERE

*MAXIME REVERENDI, MAGNIFICI ET  
EXCELLENTISSIMI*

VIRI,

DN. JOHANNIS ANDREÆ  
OLEARI, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS  
CELEBRATISSIMI,

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC  
DOMINI,*

DN. JOHANNIS ADOLPHI,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM  
DUCIS ETC. ETC. ETC.

CONCIONATORIS AULICI, CONSILIARII  
ECCLESIASTICI ET SUPERINTENDENTIS  
GENERALIS SPLENDIDISSIMI,

COLLEGIO AUGUSTO

INTIMAT


JOACHIM LEISTENIUS,  
ILLUSTRIS GYMNASII AUGUSTI RECTOR  
ET PROFESS. PUBL.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS JOH. BRÜHLII, DUCAL. ET GYMNASII-TYPOGRAPH.







Langite Pierides! Plangite Musæ Salanæ! Plangite filiæ Sionis & lamentamini! Cecidit enim, eheu! cecidit magnus Literarum patronus, magnus Doctor in Israël, magni parentis, nuper defuncti, maximus natu & dignitate filius. Cecidit, inquam, MAGNIFICUS MAXIMEQUE REVERENDUS VIR, Dn. JOHANNES ANDREAS OLEARIUS, ingens Ecclesiæ Orthodoxæ & Aulæ Leucopetrææ decus: qv̄i, per vestigia paternæ virtutis decurrens, non generi solum, sed genitoris etiam sui splendori successerat, & vel humanitate sua meruerat, ut, sicuti Olea inter arbores, sic ille inter mortales longissime viveret, & diutissime floreret. Cum Abnerus, tot trophæis inclytus heros, ferro nefarie trajectus, mortem Hebrone oppetiisset, David & purpurati ejus, omnisque populus, supremo in illum munere fungentes, publico luctu, multis profusis lachrymis, exequias ejus cohonestarunt, ipseque Rex cineribus illius parentavit. An nescitis, inquam, qv̄od princeps & magnus dux hodie cecidit in Israël? In nostra Civitate non unus, sed duo fortissimi sacræ militiæ duces, duo OLEARII, duorum mensium spatio ceciderunt, qv̄i longe plures, longe etiam nobiliores palmas a nostris, quam Abnerus a gentis suæ hostibus, retulerunt. Ille enim vel Ammonitarum, vel Philistæorum, vel alterius populi, nomini Israëlitico infesti, copias profligavit fuditque: His vero cum principibus tenebrarum negotium fuit, qv̄os toties superarunt, qv̄oties animam, e faucibus Satanæ ereptam, in regnum Filii DEI transtulerunt. Ille, multis armatorum millibus stipatus, latam infidelium stragem edidit: Hi soli, solius DEI auxilio innixi, hostium phalanges perfregerunt, precibusque suis impetrarunt, ut validas eorum manus eluctaremur. Fas itaque non est, in tantorum heroum funeribus plaudere, vel in sinu gaudere, sed plangendum potius & acerbissime lugendum, hoc præsertim tempore, ubi major belli moles Germaniæ incumbit, quam cui tollendæ industriæ nostræ sufficiant nervi: ubi Oriens fremit, Occidens premit, Septentrio terret, Auster vero oblique libertatem nostram intuetur: ubi pauci etiam reperiuntur, qv̄i supplices purasque manus pro salute patriæ in cælum tendant, & ruinam ejus humilime ab irato Numine deprecantur. Mihi certe OLEARIORUM excessus summum attulit dolorem, ut qv̄i sciam, quantum præsidii solatiique in utroque amiserimus. Ingenue tamen fateor, plus acerbitatis filii, quam venerandi Senis, mortem mihi propinasse: qv̄oniam hic patrem nobis reddebat, suaque præsentia damna nostra levabat; decedens autem neminem reliquit, qv̄i spes nostras, densa caligine in volutās, illustraret. Sicuti vero optimi patris optimus filius nihil eorum intermisit, quæ Spartam pientissimi Episcopi ornant maxime & commendant: ita ab officio nostro nihil magis alienum est, quam committere, ut magna illius merita in Ecclesiam & Rem literariam ulla oblivione sepeliantur. Ea de causa in præsentia de vita ejus summatim exponam, ut posterum exemplum habeant, qv̄od in vita sua imitentur. Natus



tus est OLEARIUS noster Qverfurti Anno MDC XXXIX. d. VIII. Cal. Octob. patre Eminentissimo Viro, DN. JOHANNE OLEARIO, S. S. Theologiæ Doctore Celeberrimo, tum Qverfurtensi Pastore & Superintendente, postea Reverendissimi & Serenissimi Principis, DN. AUGUSTI, Germaniæ Primatis & Saxonæ Ducis, Concionatore Aulico Primario, Confiliario Ecclesiastico & Superintendente Generali, quem nuper contumulavimus; matre vero CATHARINA ELISABETHA, magni nominis Theologi, DN. D. ANDREÆ MERCKII, Ecclesiæ Hallensis Pastoris Primarii & Superintendentis, filia, fœmina amplissimis decorata virtutibus, sed mariti & hujus filii sui morte graviter sauciata. Ex quibus eam hausit traxitq; indolem, quæ doctrinæ capacissima esset, & virtutis via ad paternam avitamque gloriam grassaretur. Emensus enim infantia spatia, fideiqve eruditorum virorum, qui ingenium ipsius accurate fingerent, & perpolirent, traditus, pietatis & bonarum artium præcepta tam avide imbibit, tam tenaci memoria complexus est, ut, cum octavum decimumq; annum jam ageret, annuente & jubente patre, in illustre Literarum emporium, quod Jenæ est, concesserit, sufficienti com meatu bonæ & eruditæ mentis instructus. Huc vero ubi venit, non Vacunæ, sed Minervæ se mancipavit, & ab illa meruit, ut A. 1659. d. 3. Februarii summos in Philosophia honores, tertiumque locum inter XIIII. Candidatos impetraret. Auctus hoc brabeo, biennium adhuc ad pulpita publica & privata Clarissimorum Theologorum Dn. Musæi, Chemnitii, Gerhardi & Niemannii assedit, & quæ ab illis tradita fuerunt, vacuis attentisq; auribus accepit, ad satiandum divina sapientia & eloquentia pectus. Post hæc domum reversus, pependit aliquandiu ab ore parentis sui, Oracula DEI enarrantis: sed cum intelligeret, multum famæ & eruditioni suæ accessurum, si multas Academias lustrasset, & in multorum eruditorum consuetudinem se insinuasset, patrios focos exteris mutare locis constituit, neque distulit exequi, quod animo destinaverat: siquidem A. 1661. Lipsiam, Witebergam & Francofurtum ad Viadrum, anno autem sequenti Heidelbergam, Argentoratum, & Basileam adiit, congressusque cum summatibus Literarum, plerosque modestia sua ita sibi devinxit, ut per amplam spem promotionis ad præclaras functiones ei ostentarent, si tabernaculum studiorum suorum apud se figere vellet. Verum, cum peregrini aëris temperiem valetudini suæ noxiam sentiret, ad suos redire, quam cum periculo sanitatis apud externos animam trahere, maluit. Inde navem conscendit, Rhenoque secundo vectus, Moguntiam, Coloniam, Ultrajectum, Lugdunum Batavorum, Franekeram & Groningam, non ut transfuga, sed ut explorator, accessit, lustratisque cum his, tum aliis Germaniæ urbibus, tandem sub finem istius anni in patriam reversus est. Ubi cum feria tertia Nativitatis Christi in Templo Cathedrali verba ad populum fecisset, oris atque pectoris sui ornamentis Reverendissimum Dn. Administratorem Magdeb. ita commovit, ut is, templo egressus, parenti ipsius, tum decumbenti, significarit gratiosissime, se constituisse hunc ipsius filium ad munus Concionatoris Aulici & Cathedralis vocare; & paulo post vocarit clementissime, postquam sc. A. 1663. d. 18. Febr. in Academia Salana pro Licentia titulum & privilegia Doctoralia consequendi de Lumine Gentium publice & solenniter disputaverat. Auctus deinde gradu, ut vocant, Doctoris, de condenda familia & quærenda vitæ sociâ cogitavit, quæ parta custodiret & generi suo fulcimenta daret: invenitque ANNAM SABINAM, Dn. Hieronymi Prætorii Pastoris & Superintendentis Smalcaldensis filiam, virginem florentissimam, cum qua etiam A. 1665. d. 18. Septembr. de consilio parentum nuptias celebravit, & non



minus fœcundum, quam tranquillum, habuit matrimonium. Sustulit quippe ex ea duos filios unamque filiam, sed quæ cum primogenito fratre ante ipsum extincta & in æternitatem asserta est, solo JOHANNE AUGUSTO superstite, qui cum mœstissima matre lugens exequias patris comitatur. Vitam ejus quod attinet, fuit illa doctrinæ, quam professus, maxime conformis, h. e. sancta & inculpata. Nihil enim antiquius OLEARIO fuit, quam sequi vestigia magni parentis avorumque, & instar OLEÆ pulcherrime florere & prodesse multis. Hinc DEUM coluit religiose, Principem veneratus humilime, parentes honoravit officiose, proximum dilexit sincere, salutem orbis Christiani, præcipue auditorum suorum, salutis nostræ auctori commendavit diligentissime, & ut summatim dicam, omnes numeros pii sedulique Antistitis implevit. Ob hanc vitæ sanctimoniam aliasque illustres animi dotes Divus AUGUSTUS A. 1671. novis honoribus ipsum, quietum tamen & nihil per ambitum moventem, decoravit, & amplissimo sacerdotio, quod ei mandaverat, splendidissimos titulos Consiliarii Ecclesiastici, Consistorii Assessoris, Vicarii Superintendentis Generalis & supremi Augustei Inspectoris adjecit. Eandem ob causam Serenissimus illius Successor congestos in eum honores ante quadriennium indulgentissime confirmavit & perpetuavit. Hanc quoque ob rem summus, qui in cœlis habitat, Brabeuta hoc ipso anno ex hac miseriarum valle ad se in aulam cœlestem evocavit, infulasque temporales stola æternitatis mutavit. Factum enim, ut ex violentia febris, quæ sub finem proxime superioris mensis ipsum invasit, nullisque remediis, quamlibet præstantissimis, depelli potuit, die VI. Junii post sextam vespertinam (cum paulo ante cœlestes dapes sumpsisset) inter medias preces suorumque lachrymas decesserit, & sanctissimam animam cœlo reddiderit, postquam XLIV. annos, XXXVI. hebdomades & IV. dies inter vivos exegerat. Cui cum hodierno die post horam I. pomeridianam justa facienda sint, vos, Cives Augusti, appello & hortor sedulo, ut prolixi affectus, quo beate defunctus Literarum cultores semper profecutus est, ut & officii vestri memores, exequias illius frequentes celebretis, & hoc ipso demortui propinquis luctus moderamen concilietis, P. P.  
d. XV. Junii, Anno recuperatæ per Christum  
gratiæ MDCLXXXIV.



PIE-

MDLXX

MO



ULB Halle  
003 344 38X

3









F.v. 63. 16

Z d  
1376

# PLANCTUM SUUM

IN  
FUNERIBUS

MAXIME REVERENDI  
EXCELLENTISSIMI

VIRI

DN. JOHANNIS

OLEAE

SS. THEOLOGIAE  
CELEBRATIONE

SERENISSIMI PRINCIPIS

DOMINI

DN. JOHANNIS

SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE  
DUCIS ETC. FIDELIS

CONCIONATORIS AUSTRIACI  
ECCLESIASTICI ET SUPPLEMENTI  
GENERALIS SPLENDIDISSIMI

## COLLEGIO

INTIMAE

JOACHIM LEONHARDI  
ILLUSTRIS GYMNASII  
ET PROFESSORIS

LEUCOPEIKAE,

LITERIS JOH. BRÜHLII, DUCAL. ET GYMNASII-TYPOGRAPH.



TIFFEN Color Control Patches  
© The Tiffen Company, 2007

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

EA  
S  
HI,  
M  
ARII  
TIS  
U S,  
OR

